De

# CONCURRENTIBUS ACTIONIBUS DISPUTATIO,

Quam

Cum Duplici Consectario Ac Parergo

JEHOVÆ OPT. MAX. AUSPICIIS

PRÆSIDE

Viro Ampliſſimo & Conſultiſſimo

## D. IOANNE GOEDDÆO NOMINIS CELEBERRIMI JCTO, ET LEGUM ANTECESSORE IN INclita Academia Marpurgenſi digniſſimo, Præceptore meo plurimum honorando exercitI publici gratiâ tueri conabor

*In Acroaterio JCtor. ad Lanum,*

GOTFRID HEGENITIUS GORLICIO Sileſius.

Marpurgi Cattûm

Ex Officina Rodolphi Hutvvelckeri,

Anno M DC XIX.

ROMA

338

# THEOREMA I.

MAgnis veterum Juriſprudentium, ut ipſi loquuntur *a)* varietatibus agitata fuit Materia CONCURRENTIUM ACTIONUM *b)*

a) *l ſi Titio 55.§ ſi eo 1. PP.de legat.2.l.pro legato 9.PP.pro leg.l.cum ex uno 32.PP.de O.& A.*
b) *l item 18.§ vetus ſin.PP.de pec.conſt d.l. cum ex uno l.qui ſervum 34.l.plura 53.PP.de O.& A.l manifeſtiſſimi 22.pr.& §.ſed cū 3.C.de de furt & ſerv cor.*

2. De hac tamen priſcis è JCtis unus Paulus librum ſingularem, ex neotericis pauciſſimi ſcripta ediderunt.

3. Niſi quòd eam per multos juris civilis locos diſperſam videamus à multis & Imperatoribus, & LL. Conſultis.

4. Imperatoribus; Severo, Antonino, Gordiano, Valente, Gratiano, Valentiniano, Diocletiano, Maximiano, Theodoſio, Arcadio, Alexandro.

5. LL. Conſultis; Juliano, Africano, Proculo, Javoleno, Venuleio, Pomponio, & Aliis, quorum Catalogum percenſere, nec mihi nec lecturis valdè oportunum.

6. Oportunius, credo, fuerit, ſi doctrinam hanc in volumine PP & C. diffuſam & confuſam, diſputandi gratiâ, pro viribus meis methodicè propoſuero.

7. Proponam autem 1. Definitionem. 2 Diviſionem. 3. Finem. 4 γένεσιν ſeu cauſam efficientem. 5. Materiam. 6 Formam. 7. Effectiones. 8. Adverſa CONCURRENTIUM ACTIONUM.

8. Definitio vera & perfecta dari nequit; ſiquidem quod ἀκριβῶς & apodicticè definitur, eſt per ſe ac primariò in rerum ordine prædicamentali.

9. Actiones autem concurrentes directè in prædicamento non ſunt; quia non ſunt unius ac ſimplicis eſſentiæ, ſed, ut appellatio ipſa oſtendit, ens ad-gregativum vel collectivum, quod tantum ſecundariò & reductivè in ordines entium categoricos recipitur.

10. Imperfecta dari poteſt; quòd concurſus actionum ſit, cum plures actiones ejusdem rei nomine, vel ex unà causa factovè, vel ex cauſis factisvè pluribus natæ uni adverſus eundem competunt.

11. Nec vanè dico Rei Eiusdem; quoniam & rerum variarum ſeu diverſarum nomine competunt alicui plures actiones *l. quod in herede 9. §. eligere 1. pp. de trib. act. l. & hæc 35. §. cum fundum 1. pp. loc. cond.*

12. Quas tamen omnes ſubſiſtere, ac proinde inſtitui poſſe juris eſt explorati.

13. Ut ſi debitori CC. aureorum ex cauſâ judicati, crediderim pecuniam aliam C. forte aureos, & ſi nec adiecerim in cautione, præter hos C. mihi CC. aureos deberi, petitiones utrasq; mihi eſſe integras, Pauli reſponſum eſt *l. Lucio 29. PP. de O. & A.*

14. Dico etiam Adversus Eundem; cum & uni adverſus plures competant actiones plures.

15. Nam ſi quis alteri furtum fecerit, & id quod ſubripuit, alius ab eo ſubripuerit, dominus cum utroq; fure priori ac poſteriori habet furti actionem, ita ut, ſi cum altero furti actionem inchoat, adverſus alterum nihilominus duret, ſed & condictionem; quia ex diverſis furtis tenentur *l. qui re 76. §. ſi quis 1. PP. de furt.*

16. Si plures ſervum eundem percuſſerint aut vulnerâ-

rint,

ſint, nec apparet, cujus ictu ille perierit, omnes quaſi occiſores tenentur actione legis Aquiliæ a) *l. item, Mela 11. §. ſed ſi plures 5. l. ita vulneratus 51. § idq; eſt 1. PP. ad l. Aquil.* b) *l. item 15 §. ſi ſervum 39. PP. de iniur. & actione injuriarum.* c)

17. Verba autem EIUSDEM REI NOMINE mihi ſignificant idem, quod ejusdem rei ratione, vel ad idem conſequendum *a)* vel propter rem eandem, *b)* vel de eadem re, ut loquitur Ulp. *c)* ſeu, ut idem *d)* de eâdem pecunia.

a) *l. item 18. § vetus fin. pp de pec. conſt.* b) *l. de eadem 5. pp. de except. rei jud.* c) *d. l. de ead. & l. nunquam 130. pp. de div. R. I. ant.* d) *l. nunquam 60. pp. de O. & A.*

18 Hæc enim rei quoque appellatione tanquam latiori & generaliori *a)* continetur. *b)*

a) *l. 1. in fin pp. de reb. cred.* b) *l. rei appellatio 5. junct. l. pecunia 178. pr. pp. de V. S. quas, perſpicuè, ut omnia, explicat Ampl. & Clar.* Dn. PRÆSES *in libro ad hunc tit. commentario.*

19. Unde rei nomine non factum & delictum intellego, prout Hotomanus, vir aliàs ingenii probi & recti *a)* intellegit. *b)* a) *Jac. Cujac. t. 22. Reg. Ulp.* b) *quæſt. ill. 29. p. m. 235.*

20. Nec eſt ratio, quæ moveat manum Criticam adhibere *d. l. nunquam 60.* & pro PECUNIA ſubſtituere PECCATO.

21. Omnium autem Actionum Concurrentium princeps DIVISIO in tria genera deducitur.

22. Aut n plures in rem, aut plures in perſonam actiones concurrunt, aut miſtam cauſam obtinere videntur, id eſt, actiones plures in rem cum in perſonam actionibus, & viciſſim concurrunt.

23. ACTIONES IN REM CONCURRENTES; ſingularum rerum vendicatio, & petitio hereditatis *l. Julianus 3. pr. l. ſi quis 7. § & generaliter 4. pp. de except. rei jud.*

24. ACTIONES IN PERSONAM vel ſunt omnes rei perſecutoriæ, vel omnes pœnales, vel partim rei perſecutoriæ partim pœnales.

25. REI PERSECUTORIÆ dantur vel ex unâ & eadem cauſâ ſeu facto, vel ex cauſis ſeu factis pluribus.

26. EX UNA & EADEM CAUSA SEU FACTO;

I. Actio pro ſocio & communi dividundo, ſi fecerim impenſas in rem ſocietate communem, & alius ſociorum fructus hac ex re perceperit *l. pro ſocio 38. §. ſi tecum 1. PP. pro ſocio.*

27 II. Actio de peculio & actio tributoria datæ ex contractu ſervi, qui, ſciente domino, peculiari merce negoriatus fuit contra dominũ *§. cæterum 3. verb. is quoq; Inſt. quod cum eo qui in al. pot. l. 1. pr & l. quod. in herede 9 §. eligere 1 PP. de trib. act.*

28. III. Actio commodati & condictio furtiva *l. qui ſervum 34. §. ſi is 1. PP. de O. & A.* vel

29. IV. Actio furti & actio commodati, ſi is, cui rem commodavero, furtum hujus rei commiſerit *d. l. & §.*

30. EX CAUSIS SEU FACTIS PLURIBUS iterum cõpetunt ex cauſis vel conſentaneis & ejusdem generis, vel diſſentaneis & generis diverſi.

31. EX CONSENTANEIS ET GENERIS EIUSDEM; quia novum non eſt, ut duæ obligationes vel actiones in ejusdem perſonâ, ejusdem rei nomine concurrant, *l. non eſt novum 10. PP. de act. emp. l. heres 21 § non eſt novum 1 pp. de fideiuſ.*

32. E g. ſi reus promittendi reo alteri heres exſtiterit, duas obligationes vel duas obligationis ſpecies ſuſtinet *l. ſi reus 13 pp. de duob. reis conſt. l. generaliter 5 PP. de fideiuſſ.*

33. Aut, ut ſpecialius enunciem, ſi Titius, qui fundum vendidit Seio, fundum eundem poſtea vendat Mævio, deinde vero Seius in univerſum Mævi defuncti jus ſucceſſerit, duplex empti actio propria videlicet atq; hereditaria cõcurrit in ejusdem, Sei nimirum, perſona, de eadem re ſive ejusdem generis venditione.

34. Poteſt enim Seius Titium actione empti bis conveni-

re,

re, tùm ante aditam hereditatem, tum hereditate adita.

35. Ante aditam hereditatem, ut debitorem proprium: hereditate adita, ut debitorem hereditarium *l.l.non eſt novum*

36. Ex diſſentaneis vel diverſi generis; Actio ex ſtipulatu & actio ex teſtamento, ſi videlicet is, qui Stichum dari ſtipulatus fuerat, heres fuerit ei, cui ex teſtamento idem Stichus debebatur *l.ſi is 18.PP.de O.& A.*

37. Pœnales competunt vel ex uno facto & uno delicto, vel facto uno & pluribus delictis, vel pluribus factis & delictis pluribus.

38. Ex uno facto et uno delicto;

I. Actio de arboribus ſuccisis, & actio legis Aquiliæ ſi quis alterius arbores furtim cæciderit. *l.1.l.cædere 5.§.ejus 1.pp.arb. furt.caeſ.*

39. II. Actio furti, & actio vi bonorum raptorum, ſi quis rem alterius clàm rapuerit, *§ ſane 2.verb.& generaliter in fin. Inſt.de vi bon.rapt.l.1.l prætor 2.§ & generaliter 23 pp.vi bon.rap.*

40. Intellego autem heîc actionem furti nec manifeſti, quoniam de hujus concurſu cum actione vi bonorum raptorum ſæpiſſime in jure noſtro agitur, de concurſu autem actionis furti manifeſti cum actione vi bonorum raptorum nusquā.

41 Hæc enim ad actionem furti manifeſti neq; neceſſaria eſt, neq; propriè pertinet; ad actionem furti nec manifeſti pertinet, & neceſſaria eſt, quod bellè obſervavit *a)* conſummatiſſimæ, judicio Contl. *b)* doctrinæ JC.Jac. Cujac.

a) *in par.C.de vi bon rapt.* b) *in ep.dedic.lib 2.lect.ſubſec.*

42. III. Actio ex edicto prætoris, actio vi bonorum raptorum, actio legis Aquiliæ, actio furti adverſus publicanum, qui aliquid ademerit *l.1.§.& reſtituendi 4.pp.de public.*

43 Ex Facto Uno et Pluribus Delictis; Actio legis Aquiliæ & actio injuriarum, in quas aliquis incidit unico facto, ſi ſcil. ſervum alienum injurioſis verberibus tractâſſit; *l.qui ſervum 34.pr.PP.de O.& A.*

44. Item, ſi quis virginem viro immaturam ſtupraverit *l. ſi ſtuprum 25. PP. de injur.*

45. Ex Pluribus Factis et delictis Pluribus;

I. Actio furti & actio legis Aquiliæ contra eum, qui hominem ſubripuit & occidit [redacted] *l. ſi ſervus 27. pr. PP. ad l. Aquil. l. nunquam 2 § qui igitur 1 PP. de privat. del.*

46. Quæ duæ actiones æquè locum habent, ſi quis ſervum vulnerârit, quem ſubripuerat *d. l. nunquam § item ſi ſin.*

47. II. Actio vi bonorum raptorum & actio legis Aquiliæ, ſi quis hominem rapuit, & letho adfecit *a)* vel ſi raptor quid damni coactis hominibus dedit *b)* a) *d. l. nunquam §. idem dicendum 2.* b) *l. prætor 2 §. ceterum 10. PP. vi bon. rapt.*

48. III. Actio furti & injuriarum, ſi quis hominem ſubripuerit, ſubreptum flagello ceciderit *d. l. nunquam §. item ſi 4.*

49. Cui actionum pari adiungitur actio legis Aquiliæ, ſi quis forte an illi homini mortem etiam intulerit, ut ſic, quoniam tria ſunt facta & delicta tria, tres etiam competant actiones *d. §. 4.*

50. IV. Item actio injuriarum, ſi ſerva ſtuprum ſit paſſa, & actio furti, ſi celavit mancipium, vel quid aliud animo furandi fecit *l. ſi ſtuprum 25. PP de injur.*

51. V. Actio furti, & actio ſervi corrupti, ſi quis ancillam alienam ereptum jerit, ac ejus pudicitiam attentârit. *d. l. nunquam §. item ſi 5.*

52. Aut rerum conſumtarum nomine, veluti ſi ſervus diſpenſator, quem dominus manumiſit, pecunias apud quandam mulierculam conſumpſerit.

53. Tunc enim dominus agere poteſt cum mulierculâ & furti & ſervi corrupti actionibus.

54. Furti, de pecuniis, quas ſervus apud illam profudit; ſervi corrupti, quoniam iſte ſervus jam liber fuit. *l. Neratius 11. § quamvis 2 l. dominus 16. PP. de ſerv. corr.*

Actio

55. VI. Actio furti & actio de rationibus diſtrahendis contra tutorē, qui in tutelâ gerenda rem ex pupilli bonis abſtulit, & qui animo furandi abſtulit *l. actione 2. pr. & §. quod ſi. 1. PP. de tut. ac rat. diſtrah.*

56. VII. Actio ædilitia & actio noxalis de pauperie, ſi quis canem, verrem, aprum, urſum, leonem &c. habuerit, quà vulgò iter fit, ubi ex ædilitio edicto habere non debuit, & ſi beſtiæ illæ nocuerint homini libero *§. ceterum fin. Inſtit. ſi quadr. paup fec. dic.*

57. IIX. Actio in factum & actio legis Aquiliæ; illa, ſi ſervus ante aditam hereditatem: hæc; ſi liber factus in re hereditariâ damnum dederit *l. ſi. ſervus 48. PP. ad l. Aquil.*

58. SI PARTIM REI PERSECUTORIÆ, PARTIM POENALES concurrunt, actio poenalis eſt, aut merè poenalis; aut miſta,

59. MERE POENALIS CUM REI PERSECUTORIA CONCURRENS;

I. Actio furti, & condictio furtiva, ſi colonus aliquid ex fundo ſubtraxerit *l ſi pro fure 7. PP. de cond. furt. l. qui ſervum 34. §. hinc 2. PP. de O. & A.*

60. II. Actio furti & actio locati, ſi quis locatum ſibi ſervum ſubripuerit *l. ſi. locatum 42 PP loc cond. l. qui ſervum 34. §. hinc 2. PP. de O. & A.*

61 III. Actio furti & actio pro ſocio, ſi ſocius rem communem fallaciâ dolovè malo amovit, vel animo celandi contrectavit *l. rei 45 PP. pro ſocio l. ſi ſocius 45 PP. de furt.*

62. IV. Actio furti & actio depoſiti, ſi rem depoſitam, veluti ſacculum aut argentum ſignatum depoſitarius me invito contrectârit, aut in uſum ſuum converterit, *l. ſi ſacculum 29 pr. PP. depoſ. l. ſi depoſiti 3. C. eod.*

63. MISTA vel eſt arbitraria, ac rei perſecutionem continet, vel non- arbitraria, & continet pœnæ perſecutionem.

64. Miſta arbitraria cum rei perſecutoria concurrens;

I. Actio de rationibus diſtrahendis & condictio furtiva, *l. actione 2 §. quod ſi 1. PP. de tut. & rat. diſtrah.*

65. II. Actio quod metus cauſa, & actio in rem reſtitutoria vel de dolo *l. metum 9. §. volenti 4. & §§. duob. ſeqq. l. ſi mulier 21 §. ſi coactus fin. PP. quod met cauſ.*

66. Miſta Non-arbitraria cum rei Perſecutoria concurrens;

I. Actio legis Aquiliæ & actio commodati; ſi rem tibi commodatam feceris deteriorem *a)* aut ſpeciatim, ſi veſtimenta quæ tibi commodavero, ruperis, *b)* vel folia librorum, quibus te communicavi, dilacerâris aut atramento ſuperfuderis: a) *l. in rebus 18. §. ſive autem 1. PP. commod.* b) *l. qui ſervum 34. §. hinc fin. PP. de O. & A.*

67. II. Actio legis Aquiliæ & actio pignetatitia, ſi quis, quem pigneri accepit, ſervum occîdit aut vulneravit *l. ſed & 18. PP. ad l. Aquil.*

68 III. Actio legis Aquiliæ & actio locati, ſi quis vulnerârit ſervum ſibi locatum; *a)* vel ſi medicus imperitè ſervũ ſecuerit *b)* vel ſi tutor pueri diſcentis cervicem formâ calcei tam vehementer percuſſit, ut puer oculum amiſerit, *c)* vel ſi ſervus coloni villam exuſſit *d)*

a) *l. ſi vulneraveris 43. PP. loc. cond.* b) *l. quâ actione 7 §. Proculus ait fin. PP. ad l. Aquil.* c) *l. ſed & 5. §. ſi magiſter fin. PP. ad l. Aquil. l. item 13 § item Julianus 4. PP. loc. cond.* d) *l. ſi ſervus 21 §. Proculus ait 11. PP. ad l. Aquil.*

69. IV. Actio legis Aquiliæ & actio pro ſocio, ſi ſocius damnum in re cõmuni dedit, & hoc facto ſocietatem læſit v. g. ſervum negotiatorem vulneravit aut occidit *l. ſed ſi 47. §. ſi damnum 1 & l. 48. PP. pro ſoc. cum l. ſed ſi 19. PP. ad l. Aquil.*

70. V. Actio arborum furtim cæſarum quam pœnalem

miſtam

miſtam eſſe conſtat, *a)* & actio locati, ſi colonus ſit, qui cæciderit arbores. *b)*

a) *l. furtim 7. §. hæc actio 6. junct. §. fin. & l. facienda 8. pr.* PP. *arb. furt. cæſ.* b) *l. ſi colonus 9. PP. arb. furt. cæſ. l. ſi merces 25. § ipſe quoq; 5. PP. loc. cond.*

71. VI. Actio legis Aquiliæ & condictio furtiva *l. nunq; 2. § quæſitum 3.* PP. *de priv. del.*

72. VII. Actio in factum ex edicto de calumniatoribus, & condictio ob turpem cauſam *l. in heredem 5. §, ſed etiam 1.* PP. *de calumn.*

73. ACTIO PERSONALIS CUM IN REM ACTIONE ET VICISSIM, CONCURRENS, DATUR VEL EX UNA CAUSA, VEL EX CAUSIS DUABUS.

74. EX UNA CAUSA; Rei vendicatio & condictio, quæ competunt legatario, ſi ei aliquid relictum ſit, *a)* vel domino, ſi quid ei ſubtractum fuerit.

a) *§ ſed olim 2. Inſt. de legat l. 1. l. ſi duobus 3 §. ſed quia 2. C. comm. de leg. & fideic.*

75. Rei vēdicatio adverſus poſſeſſorem, ſive fur poſſideat, ſive alius quilibet: Condictio adverſus furem ipſum heredēve ejus licet non poſſideant *§ furti actio ſi Inſt. de O. quæ ex del. naſ.*

76. Odio n. furū, quò magis pluribus actionibus teneātur effectū eſt, ut extra pænam dupli aut quadrupli rei recipiendæ nomine, etiam his actionibus teneātur *§ ſic itaq; 14. Inſt. de act.*

77. EX CAUSIS DUABUS; Actio ad exhibendum vel exhibitoria, & rei vendicatio.

78. Hæc enim datur, ut rem noſtram, quæ ab alio, qui ſe hujus rei dominum eſſe dicit, poſſidetur, petamus *§. omnium 1. Inſt. de action. l. actionum 25.* PP. *de O & A.*

79. Illa verò ex naturali humanitatis ratione ac benignitate datur, tum quà judicem, tum quà actorem.

80. QUA IUDICEM; quoniam in illâ actione & ei ſimi-

libus judex ex æquo bono, ſecundū cujusq́; rei, de quâ actum eſt, naturam æſtimat, quemadmodum actori oporteat ſatisfieri § *præterea 31. l. de act. l. in hac actione 3. §. ib. 13.* PP *ad exhib.*

81. QUA ACTOREM; quoniam æquitas ſuggerit actori, prius exhibendam eſſe rem, quam velit vindicare, cum hoc ipſi proſit, alteri verò nihil noceat. *arg. l. in ſumma 2 §. item Varus 5. PP. de aq. & aq. pluv. arc.*.

82. CAUSÆ concurrentium actionum ſunt vel externæ, vel internæ.

83. EXTERNÆ Finis & Cauſa Efficiens.

84. FINIS, propter quem plures actori cōpetunt actiones proprius & adæquatus, eſt laxior atq; uberior agēdi facultas, quod in ſpecie actionum plurium de legatis competentiū à Papi dictum, rectè adcommodatur in genere ad caſus cūctos ACTION CONCURRENTIUM *l. cum. fil. 76. §. varijs 8. PP. de l. 2. Conſ. l. 1. § & reſt. 4. PP. de public. & vectigal. l. ſi ſervus 108. §. ſi id 1. & §. cum homo 2. PP. de leg. 1.*

85. Unde non ſolum actio nova, quam lex poſterior introduxit, ſed etiam veteres actiones actori competere dicuntur *l. quotiens 41 pr.* PP. *de O. & A.*

86. Ut ſi quis arbores furtim cæciderit, actione & veteri & novâ tenetur.

87. VETERI, ex XII. tabb. lege antiquiſſimâ, & prima penè Reipublic. Romanæ, quam quodam loco Imp. nominat NOVIORI ex lege Aquilia *l. 1.* PP. *arb. furt. cæſ.*

88. Niſi tamen lex illa poſterior nominatim ac ſpecialiter caverit, ut ſola actione nova utamur *d. l. quotiens.*

89. Sic lex Aquilia legibus omnibus, quæ ante ſe de damno injuria dato locutæ ſunt, derogavit quas leges referre neceſſarium non putavit *Ulp. l. 1.* PP. *ad l. Aquil.*

90. Sic omne jus, quod antea rei uxoriæ actió habuit, in ex ſtipulatu actionem translatum aut transfuſum eſt, & per hāc

illa

illa ſenio atq; inuſu obſolevit, ut jure inter actiones abrogatas recenſeri debuerit §. *fuerat 29. Inſt. de act. l. un. C. de rei ux. act. l. adſiduis 12 pr. C. qui pot. inpign. hab.*

91. CAUSA EFFICIENS eſt vel generatim ac latè dicta, vel ſtrictè ac ſpeciatim.

92. Generatim dicta jus civile, quippe ex cujus fontibus omnes juris effectus & quæ de jure prodita ſunt, omnia promanant ac diducuntur.

93. Specialior, & ita potior *a)* eſt interpretatio & reſponſa prudentum. a) *l. ſervus 99 §. ſi aliis 5.* PP. *de leg. 3. l. in toto 80.* PP *de div. R. I. ant. l. ſanctio 41.* PP. *de pœn.*

94. Hi enim crebris fori diſputationibus controverſias actionum propoſitas extricarunt & quo caſu plures acturo liceat intentare actiones, quo non liceat, definièrunt.

95 Quod præter textus, quos *ſup. th. 1.* citare placuit, *clarum ex l. un. pr. C. quand civ. act. crim. præiud.*

INTERNÆ CAUSÆ ſunt Materia & Forma.

96. MATERIA ſunt Actiones.

97. Ex his enim tanquam principiis actiones concurrentes componuntur, ab his nomen & ſubſtantiam ſuam accipiūt.

98. Atq; ubi ſuſtuleris actiones, concurſus quoq; actionum nullus erit, ſed unà tolletur; niſi velis materiatum fingere absq; materia, absq; principio ſuo principiatum.

99. FORMA in eo conſiſtere videtur, ut ejusdem rei nomine adverſus eundem plures alicui actiones competant.

100. EFFECTIO ac poteſtas vertitur in actionum concurrentium exitu, qui contingit per rem judicatam, litigatoris alterutrius juſta vel condemnatione, vel abſolutione, quæ fit ex officio atq; autoritate judicis.

101. Heîc autem actoris eſt, ante omnia animadvertere utrum una actio per alteram perimatur vel non perimatur: & ita num omnes ſimul actiones, vel unam tantummodò ſibi liceat inſtituere?

B 3 Quam

102. Quamquæſtionem, ſi cum Hotomano *a)* dixero eſſe multiplicem arduam & confragoſam, nemo dixerit me ſidei aut vero temerè prævaricari.

a) *quæſt.illuſt.29.*

103. Hæc ut plenius & planius decidatur, diſcernendum eſt, an actiones ejusdem rei nomine concurrentes ſint in rem, an verò in perſonam?

104. SI IN REM; una quis experiri debet, *a)* & omnes domini cauſæ una petitione adprehenduntur, *b)*

a) *l.nemo 43.§.quotiens 1.PP.de div.R.I.ant.* b) *l.& an eadem 14.§.actiones 2.PP.de excep. rei jud.*

105. Rationem reddit JCtus; *a)* quòd res ſæpiùs quidem pluribus ex cauſis deberi poſſit, amplius autem quam ſemel mea eſſe non poſſit.

a) *d.l.& an eadem § 2.junct.l.poſſideri 3.§.ex pluribus 4.*PP. *de adquir.vel amit.poſſ.l.non ut 159.*PP. *de div.R.I.ant.*

106. Ubi enim rem habeo ſemel, agere non poſſum *a)* & quod meum jam eſt, amplius meum fieri non poteſt *b)*

a) *§.ſi res 6.Inſt. de legat.* b) *§.ſed ſi rem 10. Inſt.eod.t.§ ſic itaq; 14. Inſt.de act.*

107. Quid? quòd bona fides non patiatur idem bis exigi, *a)* & improbum eſſe putet eum, qui velit iterum conſequi, quod accepit, *b)* cum & bonum ac æquum eſſe deſierit condemnari eum, qui vel æſtimationem rei præſtitit *c)*

a) *l.bona fides 57.*PP.*de div.R.I.ant.c.bona fides 83.de R.I.in 6to.* b) *l ſi quis 31.in fin.PP.de re jud.* c) *l. qui ſervum 34.in pr. PP.de O.& A.*

108. Si autem ſemel tantùm res mea eſſe poteſt, non plus etiam quam ſemel & actione una peti poteſt; ſiquidē hæc duo ſic inter ſe conjuncta & adfecta ſunt, ut hoc arguat illud tanquā cauſa ſuum effectum, illud autem hoc tanquam effectus cauſam ſuam indicet.

Effe-

109. Effectus autem nullus excedit virtutem ſuæ cauſæ, nec agit ultra ſpeciem ſuam ſeu eſſentiæ proportionem.

110. Si In personam; diſtinguitur, an omnes rei ſint perſecutoriæ, an omnes pœnales, an partim reales partim pœnales?

111 Si omnes rei persecutoriæ; diſtinguitur: an ex una & eadem cauſa, facto, ſeu negotio eodem, an ex cauſis, factis vel negotiis pluribus oriantur?

112. Si omnes ex una et eadem causa oriuntur; altera deſtruit alteram

113. Quod confirmat Modeſtinus *lib. 3. Regul.* &, ſi ex una, inquit, obligatione plures actiones naſcantur, una tantummodò non omnibus utendum eſt, *l. plura 53. pr* PP. *de O. & A.*

114. Ut, ſi fecero impenſam in res ex ſocietate mihi tecum communes, ac tu his ex rebus perceperis fructus; & hos & illã actione vel pro ſocio vel communi dividundo conſequor: ſed altera actio tollit alteram *l. pro ſocio 38 § ſi tecum 1.* PP. *pro ſocio.*

115. Sic qui dominum, ſi merce peculiari ſervum negotiari ſcierit, vel actione de peculio, vel tributoria convenit, una electa, qua velit experiri, regreſſum ad aliam non habebit *l. quod in herede 9 § eligere 1. PP. de trib. act.*

116. Ab ipſis enim intentionis exordiis unius electione alterius aditum ſibi præcluſit, *a)* etiamſi res judicio nondum finita fuerit. a) *l ſi quis 8. pr. C. de Codicil.*

117. Nam ſicut Sticho aut Pamphilo alternatim vel disjunctim venditis aut promiſſis venditio una eſt & una ſtipulatio *a)* ſic etiam heîc actor unam tantum retinet actionem, ſi ex actionibus, quæ ſibi alternatim competierunt, unam elegit.

a) *l. ſi in emptione 34. §. ſi emptio 6.* PP. *de contrah. empt. l. Stichum 95 pr* PP. *de ſolut.*

118. Sic actio commodati & condictio furtiva concurrentes altera alteram perimit, aut ipſo jure aut per exceptionem *l. qui ſervum 34. § ſi is 1. PP. de O. & A.*

Ipſo

119. Ipso Jure: ſi commodator prius actionem ſtrictam veluti condictionem furtivam, poſt deinde vel rem vel rei æſtimationem adeptus actionem bonæ fidei. ſc. actionem commodati moverit, hæc poſterior perimitur.

120. Per Exceptionem; ſi prius actionem bonæ fidei, ſcil. actionem commodati, tum actionem ſtricti juris, videlicet condictionem furtivam inſtituerit, itidem hæc poſterior perimitur.

121. Et hoc peremtionis genus, quod fit ope exceptionis, dicit JCtus *a)* eſſe Tutius; licet PP. Florent. autoritas nõ uni fidem fecerit, legendum eſſe Totius.

a) *d.l.qui ſervum & §.ſi is PP.de O.& A.*

122- Quod tamen verbum ex analogiâ litterarum O.& U. irrepſiſſe non ſuavis eſt conjectura, ſicut in veterib. libr. paſſim legitur adoleſcens, Scævola, Tribunianus, epiſtula, ſuboles &c. & frequenter littera U. uti in his ſic aliis etiam vocibus, in O. commutatur.

123. Sic actio commodati & actio furti altera alteram conſumit exceptionis ſubſidio: ſiquidem, cum furti actum eſt, commodati actio exſtinguitur; ſi commodati, obiicitur actioni furti exceptio *l.ſi is 71.pr.PP.de furt.*

124. Si ex Causis Pluribus; diſtinguitur an ex cauſſis pluribus homogeneis, an ex heterogeneis competant?

125. Si ex Homogeneis; tunc manifeſti juris eſt, quòd omnes actiones exerceri conveniat.

126. Cum enim res eadem ſæpius & ex cauſis pluribus mihi debeatur, quid impedit quin ſæpius quoque & ex cauſis pluribus peti poſsit?

127. Quod argumentum videtur eſſe Scævolæ in caſu *legis Lucius Titius 93. §. Sempronia 1.PP. de leg.3. ac totidẽ penè litteris l. Aurelius 28. §. idem fin. PP. de lib. leg.*

*128* Ut ſi duo ſint correi promittendi, & qui ex his alterius he-

us heres ſit, duas obligationes ſuſtineat, non poſſe reperiri, cur altera potius quam altera conſumatur, *refert Julianus, teſte Ulpiano l.generaliter 5.PP.de fideiuſ.*

*129.* Sic qui duas habet empti actiones, propriam ſcil.atq; hereditariam, unam quidem actionem movere poteſt, qua rem venditam ſibimet tradi, ac præſtari petat, quod ſibi abeſt, eò quòd venditor rem etiam alteri, cujus in locum jam ſucceſſit actor, vendiderit.

*130.* Ita tamen, ut ex una ſibi præſtetur omne, quod præſtari ſua intereſt, & ita per eam utriusq; contractus ſentiat commodum *l.non eſt novum 10.PP de act.empt.*

*131* SI EX HETEROGENEIS; itidem confeſſi juris eſt, exercitiũ & functionem actionis alterius ab altera non impediri.

*132.* Ut ſi actor ex teſtamento Stichum petierit, non conſumet ſtipulationem, & contrà, ſi ex ſtipulatu Stichum petierit, actionem ex teſtamento ſalvam habebit *l.ſi is 18.PP.ad l.Aquil.*

*133.* Cur ita? quoniam initio, *inquit ibid.Ulp.* ita conſtiterint hæ duæ obligationes, ut altera in judicium deducta altera nihilominus integra remaneret.

*134.* Quæ ratio etiam procedit &, ſi actione prius intentata victoriam obtinuerit actor, & ſi victus ab adverſario fuerit.

*135.* Nam priori caſu veram eſſe patet *ex d.l.non eſt novum & d l ſi is.*

*136.* Caſu poſteriori veram eſſe, docet reſponſum Scævolæ noſtri *l.Lucius 93.§.1.l.Aurelius 28 §.idem fin.PP.de lib.leg.*

*137.* Nã ſi quis ita legaverit, Semproniæ uxori meæ reddi jubeo ab heredibus meis L. vel C. Caroleos, quos mutuò acceperam, & hanc pecuniam ut debitam Sempronia petierit, & victa fuerit, poteſt ex cauſa fideicommiſsi peti, quod apparuit non fuiſſe ex alia cauſa debitum.

C Quin

138. Quin etiam actori integrum fuerit, non modò diverſam inſtituere actionem, ſed nonnunquam & eandem inſtaurare ac referre certis de cauſis.

139 Ut I, propter juſtum errorem, veluti, ſi quis crediderit pecuniam ſervo, merci oleariæ & mutuis pecuniis accipiendis præpoſito, & putans ſervum ad merces mutuam pecuniam accepiſſe, propoſita actione inſtitoria egerit, nec tamen probare potuerit, mercis gratia eum accepiſſe, licet abolita ſit actio, nec amplius agere poſſit, quaſi pecuniis quoq; mutuis accipiendis ſervus eſſet præpoſitus, creditori tamen utilis actio competit *l. habebat 13. pr. PP. de inſtit. act.*

140. Sic ei qui falſus fuit, & de peculio egit, cũ poſſet quod juſſu agere, ſuccurritur ex rationabili ſententiâ Celſi, cum aliàs, quia de peculio egit, cum poſſet quod juſſu, nequeat quod juſſu poſtmodum agere ex Proculi ſententiâ *l. ſed ſi 4. §. is qui 5. PP. quod cum eo qui in al. pot.*

141. Sic ſi cum filius in vivis eſſet, tu credens eum obiiſſe, annali actione egeris, &, quoniã annus præterierat, exceptione ſis repulſus, iterum experiri comperto errore tibi concedendũ eſt, ſed duntaxat de peculio non de in rem verſo.

142. Priori enim judicio de in rem verſo rectè actum eſt, quoniam exceptio annua ad peculium, non ad in rem verſum pertinet *l. 1 §. ſi cum ult. PP. quand. de pec. act. ann. eſt.*

143. Unde, ſicut etiam ex *l. qui cum 15. PP. de O. & A.* probatur II. cauſa, quâ de liceat eandem reſtituere actionem, videlicet, quando exceptio in priori judicio fuit temporaria.

144. Accedit III. quando generalis actio ob ſpeciem judicio priori non tractatam repetitur & refertur, cujus rei exemplum traditur *l. licet 2. C. de judic.*

145. SI OMNES POENALES; diſtinguitur, an ex uno facto & uno delicto, an ex facto uno & pluribus delictis, an ex pluribus factis & delictis pluribus competant?

Si

146. Si ex facto Uno & Uno delicto; permittitur omnibus experiri *l.cum ex uno 32.PP.de O.& A.*

147. Ut ſi de arboribus cæſis ex lege Aquiliâ actum ſit, manet nihilominus actio ex lege XII. tabb. *a)* & utraq; datur. *b)*

*a) l.ſed ſi 11.* b) *l.1.PP.arb.furt.cæſ.*

148. Si raptorem primo conveneris actione furti nec manifeſti in duplum, non eſt deneganda actio vi bonorum raptorum in duplum aliud *l.1 PP.arb furt.cæſ.*

149. Si adverſus publicanum primo fuerit intentata actio ex edicto de publicanis prætorio, vel actio legis Aquiliæ, poteſt ad huc in id quod amplius eſt, vel actio furti vel actio vi bonorum raptorum intentari.

150. Tum demum autem pronunciatum illud Hermogeniani *a)* Catholicæ veritatis eſt, ſi prius actione leniori egeris, nec actio poſterior plus quam prima contineat. a) *l.32.PP.de O. & A.*

151. Ita enim limitat Paulus *a)* &, ſi eodem facto, ait, duæ competãt actiones, judicis partes eſſe, ut quo plus ſit in reliqua actione, id actor ferat, ſi tantundem aut minus Nihil conſequatur.

a) *l.quotiens 41.§.ſi eodem 1.PP.de O.& A.*

*152.* Et quamvis ſint, qui legem hanc ita malint interpretari, ut actor judicio poſteriori in quo tantundem ſit, aut minus quam priori, id conſequatur, quod obtinuit priori, tamen hâc interpretatione quid ſtultius? verbum eſt *Cujac l 15.obſ.23.*

153. Quod enim obtinuit, id actor conſecutus eſt; quia conſequi eſt ſententiam conſequi *a)* ſeu, quod idem, tenere ac obtinere.

a) *l.ſi prætor.75 PP.de judic.*

154. Sin prius actione graviori egeris, fallit Hermogeniani ſcitum: Omnibus uti licere.

C 2 Per gra-

155. Per graviorem enim actionem aliæ actiones exceptione rei judicatæ oppoſitâ corrumpuntur *arg. l. ſi 14. §. eum qui 13. PP. quod met. cauſ.*

156 Ut ſi ſervus conſcio domino delictum admiſerit, & hinc dominus utroq; modo, & ob ſcientiam ſuam, & ſervi nomine teneatur, una pœna, quam actor elegit, exacta non ſuppetit alia, qua poſſit obtinere, ſed ſi alia rurſus uti velit, exceptione rei judicatæ ſubmovebitur, cum res in judicium ſuperius deducta ſit ac finita *l. in delictis 4. § cum dominus 2. & §. ſi detracta ſeq.* PP. *de nox. act.*

157. Et ut exempla modò recenſita repetam, ſi de arboribus cæſis prius actione arborum furtim cæſarum ex l. XII. tabb. egeris, ceſſat actio ex lege Aquilia.

158 Utraq; enim ita datur, ut judex in poſteriore deducat id, quod actor ex prima conſecutus eſt, & reliquo reum condemnet *l. 1. PP. arb. furt. cæſ.*

159. Si raptorem primò conveneris actione vi bonorum raptorum, ceſſat actio furti nec manifeſti in duplum *l. ſi quis 88.* PP. *de furt. l. 1.* PP. *vi bon. rapt.*

160. Si adverſus publicanum primò egeris vel furti vel bonis raptis, finit edictum de publicanis prætorium vel actio legis Aquiliæ.

*161.* SI EX FACTO UNO ET PLURIBUS DELICTIS; altera per alteram non conſumitur.

*162.* Ut ſi quis ſervum alienum injurioſè verberarit, rationabilius eſt eam admitti ſententiam, quæ ſtatuit actori & Aquiliam & actionem injuriarum competere, ſic ut liceat ei, quam voluerit, actionem prius exercere, quod autem amplius in altera eſt, etiam hoc exſequi; licet hæc adſertio contradictores habeat.

*163.* Quidam enim altera electa alteram conſumi pertendunt: alii, per legis Aquiliæ, actionem iniuriarum conſumi: ſed

ſi prius

ſi prius injuriarum actum ſit, tene   eum ex lege Aquilia.

164. Sed & hæc ſententia p   prætorem inhibenda eſt, ait Paulus; *a)* niſi in id quod amplius ex lege Aquilia competit, agatur.

a) *l. qui ſervum 34. PP. de O. & A.*

165. Unde apparet, brocardicon illud: plura delicta in una re plures admittunt actiones, ſed non poſſe omnibus uti, probatum eſt, hac cum reſtrictione exaudiendum, niſi una actio plus contineat, quam continetur in altera.

166. Sic etiam intellegendum, quod Ulpi. particula ETIAM innuit, adverſus virginis immaturæ ſtupratorem non ſolum actionem injuriarum, ſed & legis Aquiliæ ſimul competere *l. ſi ſtuprum 25. PP. de injur.*

167. SI EX PLURIBUS FACTIS ET DELICTIS PLURIBUS; quamvis una ſit actum, altera nihilominus agi poteſt.

168. Nunquam enim actiones, præſertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam conſumit, effatum eſt DN. Iuſtiniani, *a)* quod totidem verbis repetitur à JCto. *b)*

a) *§. ceterum fin. Inſt. ſi quadr. paup. fec. dic.* b) *l. nunquam 60* PP. *de O. & A. l. nunquam 130.* PP. *de div. R. I. ant.*

169. Et ita ſingulis factis actiones ſingulæ, ſingulæ pœnæ delictis ſingulis irrogātur *l. in SCt. 15. §. an ad eos 1. PP. ad SC. Tur.*

170. Quia nunquam plura delicta concurrentia faciunt, ut ullius impunitas detur, cum delictum ob aliud delictum pœnam non minuat *l. nunquam 2. PP. de privat. del. cui conſentit l. interdum 56 PP. de furt.*

171. Ut ſi concurrant actio furti & Aquiliæ contra hominis ſubreptorem & occiſorem, vel etiam vulneratorem, altera non conſumit alteram *d. l. nunquam §. qui igitur 1.*

172. Idem dicendum de actione vi bonorum raptorum & actione legis Aquiliæ, ſi quis hominem rapuit atq; occidit, quòd ſcilicet invicem non tollantur *d. l. nunquam §. idem 2.*

173. Idem de actione furti & actione injuriarum *d.l. nunquam §. item 4.*

174. Sic in concurſu actionis furti & ſervi corrupti non ſufficit alterutra egiſſe, quoniam altera non minuit alteram *l. Neratius 11. § quamvis 2. PP. de ſervo cor.*

175. Sic tutor qui male tutelam adminiſtravit, & pecuniam pupillarem abſtulit, utraque actione tàm de rationibus diſtrahendis, quàm furti obligatur, & altera non tollit alteram *l. actione 2. pr. & § quod ſi PP. de tut, ac rat. diſtrah.*

176. Sic dominus, qui aluit, ubi non debuit alere, feram beſtiam, abs qua læſi fuerint homines, ædilitia actione in duplum conventus, poſtea nihilominus actione noxali de pauperie, ut damnum, quod beſtia dedit, ſarciat, conveniri poteſt, *§. ceterum fin. Inſt. ſi quadr. paup. fec. dic.*

177. Sic ſervus, qui damnum ante libertatem, & poſt libertatem commiſit, licet judicio vel actione in factū abſolutus fuerit, adhuc tamen poſtea cum eo poterit agi lege Aquilia *l. illud certum eſt pr. 13. PP. de lib. cauſ.*

178. Alterius enim & alterius facti hæ res i.e. actiones ſunt *l. ſi ſervus 48. PP. ad L. Aquil.*

179. Nam actione in factum hoc duntaxat damnum deducitur, quod dolo ſc. ante libertatem, non etiam quod culpa ſc. poſt libertatem: ſed actione legis Aquiliæ, quod culpa non etiam quod dolo datum fuerit *d.l. illud certum pr.*

180. SI PARTIM REALES PARTIM POENALES cōcurrunt, diſtinguitur an actio pœnalis ſit merè pœnalis, an verò miſta?

181. SI MERE POENALIS CUM REALI concurrit, actor utriusquè actionis commodo potitur.

182. Ut furti actio neqùe per condictionem furtivam, neque condictio furtiva per actionem furti conſumitur, *a)* & recepta re nihilominus ſalva eſt furti actio, & viciſſim. *b)*

a) *l.*

a) *l. ancillæ 12. C. de furt. & ſerv. corr.* b) *l. ſi pignere 54 §. cum furti 3. PP. de cond. furt.*

183. Furti enim actio pœnam petit legitimam, condictio rem ipſam *l. ſi pro fure 7. §. furti 1. PP. de cond. furt. cum d. l. ſi pig.*

184. Sic actio furti non tollit actionem locati, quoniam utrobique diſpar agentis ſcopus aut intentio, diſpar etiam cauſa petendi.

185. Diſpar agentis ſcopus & intentio, quia furti actione duplum, actione locati rem ſibi præſtari contendit.

186. Diſpar cauſa petendi, quoniam una fit propter rem locatam, propter rem furto ablatam altera.

187. Sic actio furti non tollit actionem pro ſocio, nec pro ſocio actio tollit furti actionem *l. rei communis. 45. PP. pro ſoc.*

188. Nulla n. inter has actiones intercedit adfinitas, cum prior competat ex delicto, ex contractu poſterior, prior pœnā perſequatur, rem poſterior, *§. ex maleficiis 18. Inſt. de act.*

189. Sic actio furti non perimit actionem depoſiti, quod etſi Fr. Hotom. adſerat ex *l. ſi ſacculum 29. PP. depoſ.* tamen an ſufficiens & plenum inibi ſuæ probationis fundamentum habeat, perſpicuè non cerno.

190. Mihi videtur ita probari poſſe, cum generaliter in omnibus bonæ fidei judiciis verum ſit, ut nec tollant furti actionem, nec ab ea tollantur *a)* verum quoq; hoc eſſe, de iudicio depoſiti, quod etiam eſt, & quidem ſpeciatim bonæ fidei *b)*

a) *l. rei 45. PP. pro ſoc.* b) *l pro ſocio 38. PP. pro ſoc.*

191. Et hoc de hiſce actionibus ita verum eſt, eas invicem non perimi aut conſumi, ſi ſcil. eidem adverſus eundem competant.

192. Si n. adverſus alium actio pœnalis, realis adverſus aliū competit, alterutrâ electâ & peractâ quandoq; tollitur altera.

193. Sic poteſt quis furti vel damni iniuriæ actione uti cum nautis, ut certi hominis factum arguat, ſed unâ contentus eſſe debebit. Et

194. Et ſi cum exercitore egerit, præſtare ei debet actiones ſuas: quamvis ex conducto actio adverſus nautas competat exercitori.

195. Sed ſi abſolutus ſit exercitor actione, poſt deinde cū nauta agatur, exceptio dabitur, ne ſæpius de eiusdem hominis admiſſo queratur.

196. Et contrà, ſi de admiſſo unius hominus actum ſit, deinde in factum actione agatur, exceptio dabitur *l. licet 6. §. poſſumus fin.* PP. *naut. caup. ſtab.*

197. Si Mista Poenalis cum reali concurrit, regulariter alterutra tantum exerceri poteſt.

198. Maxima enim ſeu canon generalis eſt, quamvis in ſpecie de concnrſu actionis pro ſocio & legis Aquiliæ à Paulo concipiatur: *a)* Ubi utraq; actio ad rei perſecutionem reſpicit, non, ut furti, ad pœnam duntaxat, actor altera actione contētus eſſe debet. a) *l. ſed actione 50.* PP. *pro ſocio.*

199. Ut ſi vel pignus, vel commodata res, vel depoſita deterior ab eo, qui acceperit, facta ſit, non ſolum iſtæ ſunt actiones, verum etiam legis Aquiliæ: ſed ſi qua earum actum fuerit, aliæ tolluntur *l. in rebus 18. §. ſive autem 1. PP. commod.*

200. Sic ſi quis contra eum, qui ſervum pigneri acceptum occîdit vel vulneravit, legis Aquiliæ actionem & pigneratitiam intentarit, alterutra contentus eſſe debet, *l. ſed & 18. PP. ad l. Aquil.*

201. Sic ubi quis vulnerarit ſervum ſibi locatum, atq; hinc & legis Aquiliæ & ex locato actio ſit, actor alterutra contentus eſſe debet *l. ſi vulneraveris 43. PP. loc. cond.*

202. Aut ſi ſervus coloni villam exuſſit, & ob id colonus vel ex locato vel lege Aquilia conveniri poſſit ſi uno judicio res ſit judicata, altero amplius non agendum *l. ſi ſervus 27. §. Proculus 11.* PP. *ad l. Aquil.*

203. Sic qui adverſus ſocium, dum in re communi damnum dedit,

num dedit, ac ita læſit ſocietatem, actione legis Aquiliæ & actione pro ſocio egit, actione pro ſocio conſequitur, ut altera actione ſcil. legis Aquiliæ, *a)* contentus eſſe, debeat *b)* a) *l ſed ſi 47. cum trib. ll ſeqq PP. pro ſoc.* b) *l. ſed actione 50. PP. pro ſocio.*

204. Sic ſi dominus cum colono, qui cæcidit arbores, actione arborum furtim cæſarum & ex locato egerit, planè una actione contentus eſſe debet *l. ſi colonus 9.* PP. *arb. furt. cæſ.*

205. Quanam verò, ſi alterutrâ, contentus eſſe debet? Ut reſpondeatur, diſtinguendum, an prius inſtituta fuerit actio miſta, an verò realis?

206. Si priùs inſtituta fuerit actio miſta, omnimodò realis tollitur, neq; hâc amplius agi poteſt.

207. Non quoniam prior i.e. actio miſta jam exercita, & judicio terminata fuit, ſed quia nihil abeſt actori ejus vè non intereſt eum, prout expedit, ita quisq; vel hanc vel illam actionem inſtituere debeat *§. ceterum 5. in fin. Inſt. quod cum eo qui in al. l. ſtipulatio 38 § actori. 17. PP. de V. O.*

208. Realis autem ineſt actioni miſtæ, ut ita qui miſta egit, iam rem ſit conſecutus.

209. Exempli grat. quando ob rem tibi commodatam, & abs te deterioratam duæ mihi competunt actiones, nimirum legis Aquiliæ, & commodati poſt legis Aquiliæ actionem utiq; commodati finietur *l. qui ſervum 34. § hinc fin.* PP. *de O. & A.*

210. Sin prius inſtituta fuerit actio realis, diſtinguitur, an actio miſta ſit arbitraria, & habeat rei perſecutionem, an ſit non arbitraria, & pœnæ perſecutionem habeat?

211. Si actio miſta eſt ARBITRARIA, & ante eam inſtituta fuerit actio realis, amplius agi nequit actione miſta arbitraria.

212. Ut ſi per condictionem furtivam conſecutus fuerit pupillus rē ablatā, tollitur judicium de rationibus diſtrahendis.

213. Nîl enim amplius abeſt pupillo, qui ſuum recepit

D . condictione

condictione furtiva *l. actione 2. § quod ſi 1. PP. de tut. & rat. diſt.*

214. Sic ſi prius actum fuerit actione in rem reſtitutoria vel de dolo, tollitur actio in perſonam vel metus cauſa *l. metum 9. §. volenti 4 §. licet 6. & l. item ſi 14 §. eum qui 13.* PP. *quod met. cauſ.*

215. Si verò ante actionem miſtam NON-ARBITRARIAM inſtituta fuerit actio realis, non planè atq; omnimodò abſumitur actio miſta non-arbitraria, ſed tantum delibatur, & ſupereſt, ut ad id, quod ſuperfluum eſt in pœna alterius, agi poſſit.

216. Ut poſt actionem commodati, quamvis dubitetur, & in controverſiam ſit: An Aquiliæ remaneat in eo quod in repetitione 30. dierum amplius eſt? tamen theſis adfirmans, eam REMANERE, verius concludit, cui non nemo ferè adſtipulatur præter Paul. Caſtrensem è veteribus, è recentioribus DN. Hortlederum, qui fortiſſimè defendi poſſe id, quod Caſtrenſis voluit, ſed rationibus novis, ait *in diſp. ſing. de vero ſenſu l. non omnium 20. PP. de legib. poſit. 31 & 32.*

217. Ratio ſubiicitur, quia ſimplo accedit, & ſimplo ſubducto ſeu deducto ſive computato *a)* i. e. exſtincta petitione ſimpli locum NON HABET. *b)*

a) *l. 1.* PP. *arb. furt. cæſ.* b) *l. qui ſervum 34. §. hinc fin* PP. *de O. & A.*

218 Hanc utriusq; loci lectionem exhibet nobis ſcriptura archetypi Florentini, ſed poſterior locus i. e. ratio, niſi ex inde dematur vocabulum abnutivum cum priori h. e. adſertione ſua manifeſtiſſimè pugnabit.

219. Legendum itaq; adfirmativè LOCUM HABET, aut priori loco addenda erit negatio, ut legatur NON REMANERE vel mutatione leviſſima REMOVERI.

220. Sed & heîc tollendam eſſe negationem, ſuadet ratio juris, eo ſenſu, ſi dominus primum egit contra commodatarium actione commodati, ſimplo ſubducto, quod hac actione adeptus

deptus eſt, poſſe adhuc intentare Aquiliam in id, quod in ea reſiduum vel amplius eſt, quam in actione commodati, & quod accedit præſenti æſtimationi ob repetitionem XXX. dierum.

221. Sic ubi cōdictio ex cauſa furtiva primum inſtituta fuerit, nihilominus lege Aquilia agi poteſt, quoniam alterius æſtimationis eſt actio legis Aquiliæ, alterius condictio ex cauſa furtiva.

222 Illa enim eam æſtimationem complectitur quanti eo anno plurimi fuit, hæc non egreditur retrorſum judicii aut litis conteſtatæ tempus *l. nunquam 2. §. quæſitum 3. PP. de privat. del.*

223. Igitur, quod legibus ſupra allegatis dicitur, actorem una actione contentum eſſe debere, non ἁπλῶς atque indefinitè intellegendum eſt, ſed πῶς & reſtrictè, quatenus videlicet judicio priori ſuum conſecutus fuit actor, nec pluris interſit, altera adhuc actione experiri.

224. Et ſic hæc exceptio eſſe videtur regulæ ſuperioris th. 199 quam VI exemplis & legum textibus illuſtravimus.

225. Illuſtratur & hoc, dum dicitur in concurſu actionis calumniæ & condictionis ex turpi causâ, ſufficere alterutram actionem *l. in heredem 5. §. ſed etiam fin. PP. de calumn.*

226. Hoc eſt, *a)* ſi primum egero in quadruplum, quam pecuniam dedi, ne fieret mihi negotium *b)* actione calumniæ, non poſſum agere amplius condictione ob turpem cauſam; ſin egero primùm condictione ob turpem cauſam, agere non poſſum amplius in quadruplum ſed in id duntaxat, quod in actione calumniæ ſupereſt, nempe in triplum.

a) *Ita mentem Ulpiani explicuit Cujac. 8. obſerv. 24. & ex eo Dn. Obrecht. diſp. de conc. & cumul. act. th. 130. ac 131. ac Dn. Bocer. parte 2. diſp. 11. quæ eſt de conc. & cum. act. th. 13.* b) *ſi enim dedi, ut fieret alij negotium, actio calumniæ merè pœnalis eſt, atq; ideo tum eâ actione condictio non tollitur vel contra. Cuia 8. obſerv. 24.*

227. Si deniq; ACTIO PERSONALIS CUM ACTIONE IN REM, & viciſſim, concurrat, diſtinguitur: an ex unâ cauſa, an verò ex cauſis duabus ad idem competant?

228. SI EX UNA CAUSA; tum altera per alteram conſumitur, &, ſi unâ fuerit actum, altera non agitur.

229. Sic variis actionibus legatorum ut vendicatione & actione condictitia legatarius uti non poteſt, quia legatum datum in partes dividi non poteſt.

230. Non enim eâ mente datum eſt legatario pluribus actionibus uti, ut ſimul omnes proponat, ſed ut laxior ei facultas agendi ſit, ex una interim actione, quæ fuerat electa, legatum petere *l.cum filius 36.§.variis 8.PP.de legat.2.*

231. SI EX CAUSIS DUABUS; tum altera per alteram non conſumitur, & ſi una fuerit actum, altera etiam agitur.

232. Sic actio ad exhibendum non impedit rei vendicationem, nec rei vendicatio actionem ad exhibendum, ſed qui hac egit, poteſt etiam illa agere & viciſſim.

233. Cùm enim ex cauſis duabus diverſis hæ duæ actiones diverſæ naſcantur, abſurdum aut iniquum non eſt, de re eadem bis experiri, *a)* maximè cùm duplici hac actione non amplius quàm ſemel rei reſtitutionem conſequamur.

a) *l.de eadem 5.PP.de exc.p.rei jud.*

234. Cur ſic? quoniam actio ad exhibendum præparatoria eſt & velut ante ambulo rei vendicationis, atq; id tantum efficit, ut res oculis noſtris ſubiiciatur *l.1.l.exhibere 2.l.in hac 3.§.eſt autem 3.PP.ad exhib.*

235. Rei autem vendicatio, directa & principalis actio, eſt velut pediſequa actionis exhibitoriæ, & facit ut res jam exhibita noſtras iterum ad manus pertingat. Sequuntur

236. ADVERSA, quæ voco caſus exceptos, quibus non permittitur concurſus actionum, quos duplicis eſſe notæ ſtatuerim.

Vel e-

237. Vel enim negatur actionum concurſus expreſſo juris textu, vel ſententia & ratione juris.

238. EXPRESSO JURIS TEXTU; Concurſus actionum lucrativarum. nam traditum eſt, duas lucrativas cauſas in eundem hominem & eandem rem concurrere non poſſe, ſcribit Imp. *Juſtin. §. ſi res 6. Inſt. de legat.*

239 SENTENTIA ET RATIONE JURIS; ſi actiones disjunctim atque alternatim competant, & quarum altera per alteram vel perimatur conſecutione, vel electione conſumatur.

240. Immediatè enim ac naturaliter contraria ſunt concurſus & electio, & dum actio altera vel perimit vel conſumit alteram, impedit ejus exiſtentiam & proinde concurſum.

241. Actio igitur civilis & criminalis regulariter non concurrunt, ſed civilis præjudicat criminali, criminalis civili, & alterutra earum intentata non ſubſiſtit altera, quoniam disjunctim competunt § *in ſumma 10. Inſtit. de injur.* ubi de omni injuria, inquit Imperat. Cæſar, poſſe vel criminaliter agi vel civiliter.

242. Utraq; enim vindictam perſequitur, non rem familiarem ſive damnum pecuniarium *l. cum emancipati 2. §. emancipatus 4. PP. de collat. l. prætor 7. §. ſi dicatur. 1. verb quid ergo & l. item 15. §. ſi quis 46. PP. de injur.*

243. Quotiens autem de re familiari, & civilis & criminalis actio competit, utraq; licet experiri, ſivè prius civilis ſive criminalis moveatur: nec, ſi civiliter fuerit actum, criminalis etiam conſumitur, & è contra *l. un. pr. quand. civ. act. crim. præjudic.*

244. Ceſſat præterea concurſus actionum, quando ſententia prima actionis parit exceptionem rei judicatæ in ſecundâ.

245. Heîc enim differentia eſt actionum, quoniam prima gravior



352

ma gravior & validior eſt, levior autem ac debilior eſt poſterior.

246. Ubi autem differentia obligationum eſt, nec ejusdem duæ ſunt poteſtatis, conſtitit alteram ab altera perimi *l. ſi reus 13. PP. de duob. reis.*

247. Quâ Venulei regulâ finio, quæ de CONCURRENTIBUS ACTIONIBUS diſſerere propoſueram; ſi prius addidero

## CONSECTARIUM
### Speciale.

*De cumulatione actionum inſubtiliter & parùm acutè quæritur, an jure civili prohibeatur?*

## CONSECTARIUM
### generalius.

Cumulatio Actionum, quam juris civilis interpretes, & ex iis maximè pragmatici invenêrunt, juri civili non convenit, quod ſolam actionum concurrentiam agnoſcit. *Treutler. volum. 1. diſputat. 15. theſ. 13. lit. A. diſput. 18. theſ. 10. lit. I. & in proceſſ. iudic. ad lib. 2. c. VI. Iuriſpr. Rom. Ampliſſimi Dn. Procancellarii ac Præceptoris noſtri D. H. VULTEII IC. CLARISSIMI*, qui & ipſe ſententiam hanc noviſſimè tuitus eſt in prælect. publicis de *except. concur. action.*

---

## ΠΑ'ΡΕΡΓΑ.
### I.

*Qui ſtatuit ſermones Anti-nomicos & leges ſimiles in jure Iuſtinianeo non reperiri, contra rei veritatem, immò contra mentem ipſius Iuſtiniani ſeu Triboniani, ſtatuit.*

*Actio-*

II.

*Actiones præiudiciales vel præiudicia ſub priori membro ſeu genere διχοτομίας Iuſtinianeæ* §. omnium 1 Inſt. de act. *& Ulpianeæ* l. actionum 25. PP. de O. & A. *i.e. actionibus in rem continentur.*

TANTUM EST.

Præſtantiſſimo & Doctiſſimo

DN. GOTHOFREDO HEGENITIO [redacted]

Amico & Commenſali ſuo dilectiſſimo, publicè diſputanti

ACtio *concurrat* reliquis, quæ, qualis, ubivé
 Lemmatibus doctè nunc, *Godofride*, doces:
Moribus at, vitaq; tuâ, virtutibus ut ſit
 Virtus *concurrens*, nos, *Godofride*, mones.
Pignora certa tui, tua diſſertatio præſens
 Indicat, ingenii judiciiq; tui.
Aſſiduo ſtudio te ſancta volumina juris
 Evolviſſe, mihi lemmata docta probant.
Non minus ardenti curâ virtutis honeſtæ
 Auceps, virtutem req; fideq; colis.
Quo, quam fida tibi Legum ſit functio, monſtras:
 Virtutis verò quam tibi carus honos.
Quidnì igitur deceat, *concurrant* Numina Diva:
 Muſa, Charis, Melete, Pallas, Apollo, Themis?
Et quidnì deceat, *decernant* prœmia, Muſa
 Clio, Themis, Melete, Pallas Apollo, Themis?
*Concurrant* omnes, *conſultent*, præmia *dicant*,
 Præmia *concumulent*, praxis ut iſtud habet.
Aurea praxis habet: *Virtus cultoribus uſq;*
 *Culta ſuis largè præmia opima tulit.*

Sic

Sic poſt Aoniis *tu* Suavis cœtibus Hoſpes,
Et noſtræ Themidos gloria pulcra fores.
Ac *tibi*, quem placidis oculis aſpexit Apollo,
Semper erit Charitum dulce ſodalitium.

Fauſtæ acclamationis ergò accinebat
Joſuæ Majus Romhildâ-Francus.

*FINIS.*